FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann

76

FRANCISCI ERNESTI BRUCKMANNI,
PHIL. ET MED. DOCT.

EPISTOLA ITINERARIA LXXVI.

SISTENS

MEMORABILIA NEOSOLIENSIA IN HUNGARIA.

AD

VIRUM ILLUSTREM AC GENEROSUM
DOMINUM,
DOMINUM
JOH. JAC. DE LUEDECKE,
SERENISSIMI AC CELSISSIMI BRUNSVICENS. ET LUNEBURGENS. DUCIS CONSILIARIUM STATUS DIGNISSIMUM,
DOMINUM HÆREDITARIUM IN HOHENTHURN AC KLEINEN SICKTE &c.
PATRONUM SUUM MAGNUM DEVOTO CULTU VENERANDUM.

WOLFFENBUTTELÆ, MDCCXXXVIII.

GENEROSISSIME DOMINE!

Ex urbe Cremnicensi die 27. April. 1724. cum Prænobil. Dom. Schindlero per montem trium milliarium, tota enim via est unicus tantum mons altus, saltuosus & petrosus, *Neosolium* seu *Novum zolium*, **Neusohl**, curru partim, partim & equo vectus. Oppidum est pulchrum, juxta ac inter reliquas Hungariæ inferioris urbes metallicas optimum; situm habet in plano; divitibus cupri venis, quæ unico tantum milliari ab oppido in *Valle Dominorum*, **Herrengrund**, quæ tota ad Imperat. Romanorum & Regem Hungar. pertinet, & *valle judicum*, **Richtergrund**, quam socii, **Waldburger & Gewercken** dicti, colunt, existunt, abundat; ambæ præstantissimos reditus seu pecunias ex metallo Venereo redeuntes, **Ausbeuthe**, largiuntur. Duo urbs habet flumina, Granum nempe & parvum amnem, Bistritz vocatum, ex quo olim oppidum *Bistriz* vel *Bistritz-Bania*, i. e. metallifodina Bistricensis appellatum fuit; Bania enim vox

vox Hungarica est, notans metallifodinam. Hospitiale mihi fuit cubiculum apud Dom. Moderi, civem humanissimum; convivio ac apparatis epulis quoque exceptus fui a Dom. de Neffzeru, summo Cameræ Imperialis quæstore, Käyserlicher Cammer-Ober-Einnehmer, viro ad omnem humanitatem facto, qui me singulari complexus est, sibique æternum devinxit benevolentia; vinum omnium optimum, Ausbruch dictum, oleosum quasi & spirituosum, de quo merito dici potuisset notum illud est, est, est! liberaliter propinabatur. Nec non a lib. Barone de Schmiedeck, Dom. de Hirschberg, judice metallico, Dom. Michaëlides, verbi divini ecclesiæ Sloavicæ ministro, pharmacopœo Heinrichs, Dom. Stephano Merwaldt, mercatore Stertz, Dom. Sexti, Dom. Koronzay, qui egregiam rariorum & divitum minerarum metallicarum ac mineralium collectionem possidet; Dom. Knochler, Medic. studioso, quocum die 29. April. acervos, Kupffer-Rösten, in quibus cupri mineræ ante urbem ustulantur, furnos fusorios & excoctorios, Schmeltz-Oefen, reliquaque ad artem fusoriam & docimasticam metallicam pertinentia, porro acidulas istas binas non procul ab urbe, jucundissimi saporis, quas cum fortibus vinis Miscotzensibus, quæ hic multum bibuntur, ad temperandos spiritus ac vini vires infringendas miscere solent, collustravi.

Dies primus Maji serenus & jucundissimus, quo in *Vallem dominorum*, 1. mill. Neosolio, oppidulum sine muris profectus, ad memoriam mihi versum de Majo sequentem:

Der liebliche Mayen bringt lauter Erfreuen,
Bey Menschen und Vieh sich die Kräffte verneuen,
Gebrauche dich jetzund der fröligen Zeit,
Doch dencke, die Sommer-Hitz seye nicht weit.

 duxit.

duxit. Hic loci celebratiſſimæ cuprifodinæ Neoſolienſes luſtrandæ. In itinere ad viam rivum non magnum ex monte decurrentem, cujus aqua muſcum, gramina, folia &c. topho incruſtat, & tandem ferme in lapides mutat, obſervavi. Prandio apud virum probum & benevolum, Dom. Deadda, magiſtrum fodinarum, Berg-Meiſter, hic uſus, cum quo & partim per puteum, partim per cuniculum, usque omnem æris fodinarum ſat profundarum angulum, non ſine corporis ſumma laſſitudine, veſtimentisque in itinere ſubterraneo luto pingui ac molli adſperſis, perreptavi.

Tota *Vallis dominorum* olim ſociis, Waldburgern, a quibus denominationem, cum tantum domini fodinas in iſta coluerint, accepit; hi vero, cum belli temporibus fodinas deſeruerint, Cæſarei derelictas iterum curare & recolere ceperunt, propria fuit. In hac valle cuprifodinæ labore & arte ſingulari ab aliquot centenis operis excoluntur. Æris fodinam per cuniculum ingreſſus ad 70. orgyjas, Lachter, inveni aquam cæmentitiam. Adeſt parva camera obſerata, in qua hæc aqua Vitriolica ſcaturit, ac collecta ad certum tempus ſervatur. In hac aqua aliquot centumpondia baculorum ferreorum, in quorum loco poſt aliquot menſes cuprum optimum inveniendum, poſita ſunt. Alias ferri transmutatio in cuprum tantum unius menſis tempus requirebat, pronunc vero, poſtquam ſylveſtris ſcaturigo, wilde Quelle, cum hac aqua, ramentis cupri imprægnata, ſe nimium quantum commiſcuerit, ſpatium aliquot menſium ad transformationem opus eſt. Verbum commutandi, transmutandi cum promiſcue uſurpamus, non recte neque, ut ipſa rei natura poſtulat, ſed ex uſu potius, & conſuetudine vulgi nos loqui, fateamur. De ferri in cuprum converſione ferrum nempe in aqua Vitriolica coctum, paulatim corroditur & cuprum in Vitriolo latens attrahit, ſicque creditur converſum, licet nulla facta fuerit trans-

mu-

mutatio. De cupro cementato, Cæment-Kupffer, vid. Hübneri Lex. Natur. & Art. p. m. 415. Edward. Browns Reisen pag. 188. 189. 190. Petri Borelli Cent. III. Observ. LXXV. pag. 255. ferrum in æs commutare docet Weckerus L. de Secretis pag. 384.

Cum aliquot orgyjas adhuc profundius contendissem, inveni Vitriolum nativum cœruleum, viride & album, quod ultimum a duobus prioribus differt, dum in modum filamentorum subtilissimorum splendentium, quasi argenteorum, ex saxis montis metallicis eleganter efflorescit. Dom. Andr. Hermannus, Med. Doct. antehac physicus ordinarius incliti Comitatus Neogradiensis, pronunc personæ Cardinalis Eminentiss. Czaki, ejusdemque aulæ medicus, Vitriolum hoc experimentis chymicis sedulo examinavit, & sal quoddam ex eo paravit, quod sali Anglicano d'Epson virtutibus & effectu in medicina æquipollet, puritate autem ac crystallulorum nitore isti multo præferendum. Descriptionem istius sub titulo: Differt. epistol. de nativo sale cathartico in fodinis Hungariæ recens invento. 4t. Posonii 1721. typis edidit. Olim hoc Vitriolum nullum habuit usum, cum saxis æris expertibus rejectum, in præsenti vero in officina Neosoliensi Dom. Doct. Molleri, item apud supra laudatum Dom Knochler; porro Schemnicii apud pharmacopœum Dom. Lezium, quibuscum modus & arcanum, hoc sal purgans ex Vitriolo laudato albo parandi a nominato præcellenti chymico & archiatro, Dom. Hermanno, communicatum, in stupenda coquitur quantitate & ad centumpondia Viennam Austriæ inque alia transportatur loca; libra pro XX. groff. Cæsar. venditur. Vitriolum viride & cœruleum metallici non æstimant, interdum vero chymiæ secretiori addicti nec non alchymici quidam ista petunt salia, dum plures philosophi per ignem Universale ab istis dictum in Vitriolo nativo

Hungarico quærunt, quorum quidam mihi ipsi noti sunt, vocant istud minerale Lacertam rubram.

Mineræ præcipuæ hujus fodinæ sunt 1. minera æris flava, Gelff vel gelb Kupffer-Ertz, quæ simul aurum continere dicitur. 2. Minera cupri nigra, schwartz Kupffer-Ertz, quæ Luna imprægnata perhibetur. 3. Minera æris iricolor, Pfauenschweiffiges Silber-Ertz, caudæ pavonis pennarum elegantes & varios exhibens colores, omnium rarissima. Modum aurum & argentum ex mineris laudatis separandi metallici & examinatores hic non callent. Fodina feliciter superata, de die super terram modum parandi chrysocollam, das grün-Farben-Wesen, inspexi. Coloratas aquas fodinæ vallis dominorum exhibent, ex quibus minerale quoddam clare-viride, pigmenti genus, in alveis ac cadis ligneis, ad id factis, subsidens extrahitur. Chrysocolla dicta quasi gluten auri, Gold-leim. Ex cuniculo quodam aqua clara profluit, quæ per varios ligneos canales in magna quadrata vasa lignea, ex asseribus compacta, currit, terramque viridem deponit, & ex se sponte præcipitat, quæ chrysocolla nativa, viride montanum, Berg-Stein- vel Schieffer-Grün audit, pictoribus ad colores in usu, ac tantum in prædivitibus æris venis observanda; proprie est crocus Veneris nativus, cum viride æris, Grünspan appellatum, sit crocus Veneris artefactus. Hungari putant, hoc viride nullibi locorum, nisi tantum in Hungaria, inveniendum; certe forsan nullibi in tanta copia, quam in hoc regno, prostat? Interim istum viridem colorem in variis nostri musei metallici mineris monstrare possum; Dom. Kundmannus quoque in Promptuar. rerum natural. pag. 279. chrysocollam nativam Schwattzenbergensem adduxit. conf. Ulyss. Aldrovandi Mus. metall. L. III, pag. 348.

Quando

Quando bona chrysocollæ quantitas in dictis cistis ad certam crassitiem circumdata, aqua detracta, purgantur ab ista chrysocolla, quo facto color viridis siccatur, & in tres species separatur. Prima species vulgaris est, offenditur in cista, in quam aqua ex cuniculo profluens primo cadit; species media in sequenti cista colligitur, & tertia, quæ omnium finissima ac tenuissima, sumitur ex cista, in quam aqua ultimo fluit. Prima cista parum altius stat secunda, & secunda parum altius tertia, sicque aqua ex prima in secundam, ex secunda in tertiam itentidem cadit; quando vero aqua omnes tres cistas superavit, rivum quendam parvum de monte decurrentem constituit ac cum aliis aquis sylvestribus se miscet. Priores duæ chrysocollæ species sunt tertia crassiores & interdum arenulis mixtæ, cum ultima & tertia e contra admodum tenuis, pura & fina sit, in pulverem tenuissimum pro pictoribus & fabris aurariis in marmore comminuenda; magnam quotannis istius copiam in alias divendunt regiones. Bauschius peculiarem de Chrysocolla tractatum in forma 8v. edidit; conf. etiam Hübneri Lex. Nat. & Art. p. m. 248. 442.

Vallis dominorum omnium in tota Europa metallifodinarum maxima & spatiosissima laudatur, per aliquot milliaria, ut nobis relatum, in ista sub terra iter potest fieri. In præsenti quotannis 4000. æris centumpondia, centumpondium pro 54. florenis, ac 20. usque 24. centumpondia cupri cæmentati, largitur. Vallem judicum non frequentavi, cum parum vel nihil, quod ad mineras, chrysocollam, ædificiorum montanorum & machinarum structuram, furnos & officinas excoctorias, ab istis, quæ sunt in valle dominorum, nisi saltim, quod ibi omnia minori in parte observentur, distet. De fodinis Neosol. vid. Hapelii Relat. Curios. P. I. pag. 702. Iac. Tollius Epist. Itinerar. V. p. 186. &c. &c.

Neo-

Neosolii proverbium habent: Neosoliumcupreis, Schemnicium argenteis & Cremnicium aureis circumdatum est muris: ortum duxit ex magnis hic inveniendis scoriarum cumulis. Cum nempe in his locis veteres, qui minerarum tractationem non recte calluerunt, magnam ex dictis metallis copiam in scoriis, ex inscitia bene mineras tractandi, adhuc reliquerint, & cum istis projecerint. Pronunc de novo hæ ex cumulis abjectis quæruntur & separantur scoriæ, iterumque, non sine peculiari fructu, metalla ex iis igne & flammis excoquuntur.

Singulæ æris mineræ multum veneni arsenicalis secum habent, hinc in oppido Neosoliensi insalubriter vivendum, nec senes annosi hic observandi, nam arsenici fumus ex officinis excoctoriis ac ustrinis, **Hütten & Röstten**, non procul ab urbe sitis, aërem ambientem miasmatibus venenosis, quæ ex atmosphæra cum spiritu in pulmones & corpus continenter trahuntur, inficit; commodum autem simul dictus fumus affert, pestem enim ab urbe averruncat. Incolæ plures producunt observationes, fuerit licet tota vicinia ex contagio infecta, istud tamen vel nunquam vel rarissime urbem invasisse.

Omnes æris mineræ in igne ustulantur, ex quo processu metallico cuprum purissimum ac solidissimum sub forma lanæ vel pilorum crisporum, ex minera flammarum vi efflorescentium, interdum exprimitur, quod visu admodum jucundum. fig. cirri hujus crispuli Venerei elegantis. vid. in Magnal. Dei Tom. I. pag. 252. Tab. V. fig. VI.

Zeilerus pag. 185. mentionem quoque fodinarum, ex quibus Cinnabaris nativa & Mercurius extraheretur, fecit; hæ Neosolium inter & Cremnicium olim fuerunt, sed jam a 60. annis non amplius cultæ.

Mons auripigmenti, **der Auripigment-Berg**, unica tantum hora Neosolio videndus, ex quo adhuc ante an-

annum minera Auripigmenti effossa, nec non Auripigmentum ex ista extractum juxta ac ab arenis, lapidibus, calculis & reliquis adhaerentibus terris impuris purgatum fuit. Hic labor autem sociis, Walbburgern, mandato Camerae Imperialis & Regiae inhibitus, nec praeterea istius distractio peculiaris & magna fuit. Non procul ab hoc monte & sulphur nativum rubrum inventum, quod igne depuratum sulphur dat pellucidissimum ac coccineum: Auripigmentum flavo est colore, aurum imitante, & nascitur alias in fodinis prope aurum, estque signum auri in fodinis, ubi in crustas concrescit; sed aurum hic non prostat, nec unquam inventum; est enim quoddam velut auri excrementum, de quo vero valde dubito; halitus enim crudi & feculentiores, dum satis depurari non possint, ut idoneam auro materiam praestent, degenerant in auripigmentum. Me judice, Auripigmentum nihil, praeter colorem flavum & pulchrum, cum auro commune habet. Cur Auripigmentum sit flavum? Resp. quia ex eadem materia, ex qua est aurum, constat, licet non ita depurata. Praeterea est minerale venenosum, quia inpr. adurit ob mixtionem salium corrosivorum ignea vi pollentium, tum vero, quia corrodit ob Vitriolum & salem Ammoniacum, quod ultimum sal nunquam in eo inveniendum!

Ad urbem Neosol. in antro quodam terra sigillanda brunna, veneno resistens, adusta in igne colorem rubrum induens, fodienda; vasa pro potu sol. Théae ex ista confecta nobiscum ex Hung. attuli.

Sequuntur minerae Neosolii a me collectae: 1. Vitriolum nativ. luteum, auriferum seu solare, ex fodinis Vallis Dominorum. 2. Vit. nat. coerul. optimos coeli cyanei colores exhibens. 3. Terra sigillanda. 4. Vas pro infuso Thée rubrum ex ea coctum. 5. Cuprum caementatum,

tum, Cäment-Kupffer, seu cuprum Neosolanum ex ferro factum, sub figura cordis, soleæ equinæ, crucis &c. conf. Epist. Itinerar. XL. fig. IV. V. VI. 6. Bractea crassa ex eo cupro, quod optimum est, ac splendentem admittens deaurationem, cusum. 7. Binæ mineræ Auripigmenti species. 8. Auripigmentum ex istis paratum, quod nihil aliud est, quam Arsenici lutei species. vid. Valentini Mus. Museor. pag. 38. 9. Sulphur nativum rubrum ex monte Auripigmenti, quod est Arsenicum rubrum nativum seu Sandaracha. vid. Ibid. pag. 38. 10. Optima, media & vilior chrysocollæ species ex Vall. Dominor. vid. Ibid. pag. 7. 77. 11. Cuprum crinitum, Haar-Kupffer, inter ustulandum ex sic dictis lapidibus cupreis, Kupffer-Steinen, ex quibus vis ignis fortior cuprum purum sub forma pilorum expellit, efflorescens. 12. Minera æris nigra seu ferrei coloris, argentum, quod vero non separatur, continens. 13. Minera cupri versicolor, Pfauenschweiff vocata, iridis cœlestis colores exhibens, in qua perpulchri colores, arcus instar in nubibus apparentis, admodum nitide splendentes mirantur. 14. Minera æris flava, Gelff nominata, cupro admodum dives, parum auri, quod vero cum fructu separare nesciunt, continens. 15. Minera æris flava cum minera cupri nigra mixta. 16. Minera polita & splendens, Spiegel-Ablassung vocata; est minera æris lævis, instar speculi, a natura polita, ex Vall. Dom. 17. Lac montis, Berg-Milch, ex eadem Vall. est minerale lapideum, lactis instar, album, cum stalactite vel floribus Martis conveniens. 18. Glacies Mariæ pellucida & scissilis, Jungfern-Glaß, in mineris æris interdum obvia. 19. Arena æris, Kupffer-Sand, constans ex globulis minutissimis cupri puri & solidi, arenam referentibus; hi ad furnos, quando cuprum finum reddunt, ex igne prosilientes excipiuntur.

Ther-

Thermæ Ribarienses, das Ribarer-Bad, duabus horis Neosolio distant, sunt tepidæ, &, igne calefactæ, usurpantur. Non procul ab his aqua monstratur, in quam aves, istam transvolantes, cadunt & moriuntur; causa in fortes & copiosas exhalationes sulphureas, spiritum præripientes, rejicienda. Interdum & vaccæ, quando aquam maledictam bibere voluerint, suffocatæ & exstinctæ in hunc avernum collapsæ. conf. Agricola de re metall. pag. 559. Aquas lethiferas, vulgo creditas, complures numeramus, quales charonea illa scrobs ad vicum *Ribár* in Comitatu Zoliensi, eructat. In tractu Neapolitano, haud procul a sinu Lucrino, lacus Avernus reperitur, ex quo adeo lethalis fœtor exhalare dicitur, ut aves omnes supra evolantes mortuæ decidere cogantur, unde etiam Avernus, Græce ἄορνος, h. e. avibus carens, vocatur. In medio insulæ Islandicæ prostat fons vel lacus venenosus, vapores pestilentes fœtidos exhalans, ita ut aves per halitus tantum volantes mortuæ in terram cadant; guttula hujus aquæ gustata necem afferre perhibetur. conf. Paullini Zeitkürtz. erbaul. Lust Part. II. pag. 44. Urbs monasterium Patrum Societ. Jesu habet.

Neosolium maximam totius Hungariæ campanam, ad 280. centumpond. 2. Maxima organa pneumatica musica. 3. Optimam cerevisiam a mense Martio dictam & 4. cerevisiam vulgarem & ordinariam, vilissimo parabilem pretio, in tota Hungaria habet, nam XII. semimensuræ pro grosso cæsareo, quæ ad mensuram Saxonicam quadrantal vel sex congios, Stübchen, faciunt, venduntur. Cerevisia hujus loci peculiarem habet proprietatem, nam ex ista ebrii nunquam antrorsum, sed semper retrorsum, cadunt. Cerevisia Martialis est admodum crassa, pinguis, fortis ac spirituosa; facile caput ascendit, ebriosque reddit;

dit; quæ vetusta est fortissima, ad Mumiam Brunsuicensem accedens. Coquitur ordinarie Mens. Decembr. & bibitur demum mens. Majo & Junio. Cerevisia pro potu ordinario est brunna, ex hordeo & lupulo cocta; hanc medici inquilini insanam deprædicant, & potius vinum ad bibendum laudant. Poliatri hujus oppidi sunt Carol. Ott. Moller, M. D. qui felicissimus & ditissimus practicus in Hungar. celebratur, inclytorum Comitatuum Zoliensis & Turoczienfis physicus; observationes peculiares curarum medicarum per Essent. dulcem. 8v. Halæ 1706. edidit; nec non supra laudatus Dom. Knochler. Tres officinæ pharmaceuticæ ad Evangelicos, & una ad Romano-Catho. pertinentes adsunt. Moneta quædam cuprea pro metallifossoribus, cum signo mallei & tuditis, hic signatur, sed nullibi, nisi tantum in Comitatu Neosoliensi, valorem habet. Reliquum *Tu*, *Vir Illustr. ac Generosiss.* cum lectissima conjuge & Prænobiliss. familia vive diu, & me ama semper *Tibi* addictissimum. Wolffenb. die 19. Decembr. 1738.

